

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiae Lipsiensis Ad Solennia Natalis Domini Oratione Sacra In Templo Academico Pie Celebranda Qva Decet Hvmanitate Invitat

Goetze, Elisabeth

Lipsiae, [1711?]

VD18 13541099

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:ha33-1-200532



1. Progr. Cipp. natal. it. len.
2. Progr. Lipp. pulch. it. len. it. Erfurt.
3. — — Pentec. it. Witt.
4. Hardthura Helmst.
5. Hebreæ de æra nativ. Christi
6. Bel Hist. lingua Ungar.
7. Reimnitz Postscriptum



61. C. 2.

61 C 2

51
x

RECTOR
ACADEMIAE
LIPSIENSIS

AD
SOLENNIA NATALIS
DOMINI

ORATIONE SACRA
IN TEMPLO ACADEMICO
PIE CELEBRANDA

QVA DECET HUMANITATE
INVITAT.

W 32
W 33

RECTOR
ACADEMIAE
LIPSIAE
AD
SOLLENNIA NATALIS
DOMINI
ORATIONE SACRA
IN TEMPIO ACADEMICO
PUBLICE CELEBRANDA
CUI DECEBAT TEMPLETATE
INVITAT



VIRGINEOS partus inter paganos alios-
 que infideles & antiquissimis tempori-
 bus iactatos esse, & recentiori aeuo, lit-
 terarum monumentis proditum est, Perseum ex virgine natum secundum
 nonnullos tradit Iustinus Martyr, Ro-
 mulum & Remum ex Ilia virgine, similiterque Serui-
 um Tullium ex serua, quae virum non cognouisset, ex
 Apolline item & Perictione, ab omnium mortalium
 complexu integra, Platonem natum esse ferunt: Quae
 notiora sunt, quam vt iis diu inhaerendum exemplis
 censeam. Buddam, Gymnosophistarum Principem,
 e latere virginis prodiisse creditum esse Hieronymus
 docet. Et alterum Buddam, Terebinthum prius di-
 ctum, Socrates commemorat, originem suam simi-
 liter ad virginem retulisse. Apud Tartaros Cingis Cham
 a virgine ex solis radiis conceptus dicitur. Et apud
 Turcas genus hominum est, *quorum tota vita & actio*
supernaturalis & mirabilis esse credenda est, vt loquitur
 Septemcastrensis, qui, quod ab illibatis virginibus in
 lucem editi credantur *Nephes Ogli*, quod *filios Spiritus*
 S. nonnulli, alii *filios animae* interpretantur, sunt ap-
 pellati. Cognatum huic est, quod de aliis passim fe-
 minis non ex virili congressu, sed diuina virtute gra-
 vidis fabularum apud Graecos architecti, & *μυθοποιοί*
 potius, quam *θεόλογοι*, nugantur. Sic Ioue enim fa-
 tos esse Alexandrum & Scipionem creditum est, &
 Apolline Silenum, quo vsus Lysander in rem suam fuit:
 nam reliquos a Diis, varias personas induentibus,
 modo hominis scilicet, modo tauri, & cycni, vel Dra-
 conis, genitos nunc taceo. Aegyptiorum Theologis
 in partem doctrinae abiit *ὡς γυναικὶ μὲν ἔκ ἀδύνατον*

Ho-
 Decano
 D. Goffr. Aluio

Apol. II. p. 68.

adu. Iouin. I,
 26.

Socr. H.E. I, 22.

Septemc. de
 morib. Turc.
 p. 47.

ap. Hotting.
 Hist. Or. p. 295.
 adde Bael. Lex.
 Cr. T. II. p.
 2210.

Plut. Lysandr.

Plutarch. in
 Numap. 6.

34 50

Iustin. l. c.
Origen. adu.
Cels. l. I. p.
29.

πνεῦμα πλησιάζει Θεῷ, καὶ τινὰς ἐντελεῖν ἀρχὰς γενέσεως
nihil prohibere quo minus spiritus Dei mulieri superue-
niens principia infundat generationis : neque impro-
 babilis illa Theologia Plutarcho videtur, ἐκ ἀπιστίας
 eos ita statuere, dicenti. Quod ipsum, ut meditantes
 sacram illam, & mysterii plenissimam, DEI & Salua-
 toris nostri Iesu Christi ex integerrima VIRGINE nati-
 vritatem, lubenter admittimus : gaudentes totam,
 eamque sapientia celebratissimam, gentem nihil de-
 prehendere ἀδύνατον τῷ Θεῷ h. e. *natura sua impossibile*,
 in eo, ut diuina virtute in virgineo vtero sine virili semi-
 ne homo formetur ; ita quodammodo reformidat
 animus vestigia legere quorundam veterum Patrum,
 Iustini Martyris, Origenis & aliorum, qui, in apologe-
 tics maxime scriptis, exemplis illis genitorum ex *vir-*
ginibus, vel sine virili semine, incredulis mirabilem Ie-
 su Christi Saluatoris natiuitatem persuadere voluerunt.
 Sane venerabile adeo mysterium ex foedis illis de-
 Deorum κοίταις & adulteriis figmentis firmare, & ve-
 ritati ex fabulis fidem adstruere velle, neque pruden-
 tia esse videtur, neque pietatis. Nisi quod Patres illi
 orthodoxi, & pietate conspicui, excusationem eo me-
 reri videantur, quod κατ' ἀνθρώπων tantum ea alle-
 gent, ad reuincendam paganorum in ἀπιστία per-
 vicaciam, qui cum paratissimos sese ostendant ad
 absurdissima ista fabularum suarum commenta de-
 glutienda, in absurdis interea censeant, quod Christum
 ex VIRGINE natum Christianorum religio veneretur.
 Quae tamen excusatio ad eos pertinebit minus, qui,
 ut ipsi loquuntur, rationabilem esse Christi ex virgi-
 ne natiuitatem, ex illis quae de Heroibus in paga-
 norum fabulis circumferuntur, persuadere conantur
 inter

inter Christianos, hominibusque profanis ista occi-
 nunt, qui cum maxime & sibi & aliis persuasum cupi-
 ant, ad paganarum fabularum exemplum illam de
 Christo historiam concinnatam fuisse. Neque adeo
 Henrici Mori, qui eam viam in Mysterio pieratis in-
 gressus est, facile imitandum exemplum esse existi-
 mem, quem virum & alias optandum esset, in Pla-
 tonicis excolendis erroribus, eisdemque Christianis
 immiscendis mysteriis, nimis solertem non extitisse. No-
 bis quidem ad natiuitatis Christi ex purissima VIRGI-
 NE certitudinem tenendam sufficit, quod primo qui-
 dem penitus conuicti de eo simus, quod angelus, hoc-
 ce mysterium sanctissimae MATRI primum explicans,
 tanquam basin illi suae institutioni subiiciebat: *ὅτι
 ἡ ἀδυναμία παρὰ τὴν Θεῶν πᾶν πνεῦμα*, quod nihil sit quod Luc. I.
vires potentiae diuinae excedat. Neque sane vlla ra-
 tio patet, cur ab illa regula, plane vniuersali, excipe-
 re debeamus rem, quae ipsa natura sua nihil *impossi-
 bile*, hoc est, sese tollens ipsum atque euertens, in-
 voluat. Sane enim matricem virginis ita praepara-
 re, materiam in ea sanguineam ea ratione dispone-
 re, eosque in ea motus ciere, qui omnia possit De-
 um valere, quos virile semen excitare queat, vt in
 humanae naturae abeat formam, non difficilius cre-
 ditur, quam ex nihilo mundum, ex puluere terrae
 hominem cum produxisse. Neque qui suo arbitrio
 illas leges motus constituit, iuxta quas embryo in vte-
 ro femineo formatur, quarum cum illo effectui ana-
 logiam nulla hucusque scrutatorum naturae solertia
 potuit explicare, facultate destitui potest existimari,
 quo alio modo motus cieantur illi effectui producen-
 do sufficientes. Cumque adeo Scripturae, quas pro

diuinis certo habeamus, constanter Salvatore no-
 strum VIRGINIS partum esse doceant, cum angelum
 ostendant, virum non cognoscenti ex superueniente
 Spiritu S. filii conceptionem praedixisse: cum non-
 dum ductam domum ex Spiritu S. vterum gestare
 deprehensam, eaque de re per somnum admonitum
 esse Iosephum testatur: cum ex muliere *factum* in
 plenitudine temporum, non ex viro, doceant: cum
 denique ἀπαλοσα ipsum diserte affirmant, nihil super-
 est, quod nostrae mentis assensum morari valeat. Ac-
 cedente in primis diu antea editorum oraculorum con-
 sensu, quae suum euentum in mirabili hoc partu
 nacta esse Scriptores diuini ostendunt. Talia vero
 VIRGINITATEM matris Messiae luculenter testantia,
 tria habemus in primis Vaticinia. Primum in ipsis
 mundi incunabulis, foederisque inter Deum & homi-
 nem initiis, est editum, cum SEMEN MULIERIS con-
 tritutum caput serpentis ab ipso DEO Euae promit-
 teretur, cuius eadem planetum esset conditio, quae
 Matris Domini erat, cum angelus adesse iam tempus
 implendi eius in ipsa oraculi ei nuntiaret. Desponsata
 enim viro vtraque, quem nondum cognouerant,
 fuit, istas dum acciperent promissiones: vt pateret eas
 non esse Christi origines, per quas in ipsum peccatum
 cum morte transiret, quales eorum essent, qui Ada-
 mi semine essent creti. Hinc *Chauam* nouo nomine
 appellat Adamus, quam *Ischa*, *viram*, ante vocarat,
 quia מִתְּחִלָּה *mater omnis vitae*, hoc est, Messiae qui
 ζωὴ in Scripturis dicitur, & ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, iam per
 promissionem erat constituta. Scilicet vt Adamus
 peccando omnium morientium pater factus fuerat, ita
 verbo promissionis Eua iam mater fit eius, *qui est omnis*
vita,

Rom. V, 12. 14.

1. Cor. XV, 22.

vita, & in quo omnis Euae progenies ex morte ad vi-
 ram erat restituenda. Cui interpretationi uti praecla-
 re praelusit Moses Rekenatenensis in Commentario ad le-
 gem, cui כל notat Schechinam, quae sit עולמים
Vita seculorum, ita eam egregie explicauit B. Luthe-
 rus, & eius vestigiis insistent eruditione & meritis il-
 lustris Theologus B. Abrah. Calouius. Neque ex Re-
 formatis defuere qui eam ornarent & perpolirent, Pe-
 trus Martyr, Ioannes Piscator, P. Fagius, Dauides Pa-
 raeus, & ex recentissimis vice iterata Iacobus Altin-
 gius, & Hermannus Witsius. Sane ab eo denomi-
 nationem illam Euae petitam esse, quod mater omni-
 um, qui inde exituri essent, hominum sit futura, eo
 minus fit probabile, quod nunc demum, ubi pro-
 missio de SEMINE mulieris facta erat, id nominis ei
 imponatur, nulla quidem antea carnalis propaga-
 tionis facta mentione: quod ratio reddi nulla
 queat, cur Euam potius viuientium matrem, quam
 se parentem eorum dici Adamus voluerit, si ad na-
 turalem propagationem respexisset: quod porro na-
 turalis propagatio, hominum, natura in peccatis ex
 praesenti parentum conditione mortuorum, Ada-
 mo, ob illam rerum mutationem contristato, vix
 praebuisse occasionem credi possit, glorioso ornan-
 di coniugem nomine: quemadmodum neque alias
 res adeo erat notatu digna, ut ex nouo iam nomine
 veniat designanda. Verum ad reliqua vaticinia, quae
 matrem Mesiae VIRGINEM futuram docent, progre-
 diamur. Secundum igitur Iesaium est illud, quo
 עולמה παρθένος, ut post LXX senes Matthaeus inter-
 pretatus est, digito quasi monstratur, Immanuelem
 paritura. Qua voce עולמה significantiorem ad *virgi-*
nem

Alt.ing. de
 Sabb. III, 3.
 Hept. IV. Disp.
 IV. 5. 29.
 Hept. V. Diss. I.
 §. 39.
 V. Virg. Oe-
 con. L. IV. c. 4.
 §. 27.

EC. VII, 14.

55

Cloppenb.
Disp. Sel.
Theol. Disp.
IX.

Huet. Dem.
Prop. IX. c. 9.
Deut. XXI, 15.
Ioel. I, 8.

Ier. XXXI, 12.

nem notandam *intemeratam* non habere Hebraicam linguam certum est: quippe qua & vi vocis ἀπὸ γενεφός & ipsi aspectui promiscuo subducta notatur, & nullo scripturae loco, quo occurrit, aliud quippiam quam virginem illibatam intelligere necesse est: cum contra vox altera בתולה praeterquam nullam ea lingua habet, quae virginem notet, stupratam adolescentulam Mosis, & viduam maritum lugentem Ioeli notare, iampridem viris eruditis sit obseruata. Sed ad tertium denique locum propheticum *VIRGINITATEM* Matris Mesiae docentem veniamus, cum Ieremias suppeditat, creaturum Dominum in terram nouam dicens נקבה תסובב גבר *feminam marem circumdaturam*. Quae ita intelligenda esse videntur, ut in maxima emphasi verba intelligi possunt, ut *femina* scilicet, quae muliebrem habeat nihil praeter sexum, h. e. virum non passa, virum circumdet, non per amplexum muliebrem, neque per conceptionem ex amplexu huius modi, hoc enim non *noua res esset*, qualem illam futuram dixit propheta, sed per *circumdationem, quae nouum sit opus Dei*. Neque frustra vero molitam hoc esse sapientiam diuinam existimandum est, ut *VIRGO* mundi Saluatorem pareret. Quod enim ita a Patribus Dei diligenter fuit praedictum, quod a Noui testamenti scriptoribus assidue fuit inculcatum, grauem rationem habeat oportet, neque est verosimile, frustra id miraculi sapientiam diuinam adornasse, cum ne quidem in rebus naturae frustra eam laborare sit exploratum. Nempe hac ratione omnis suspicio labis peccaminosae in agno hocce immaculato erat tollenda. Neque hic opus esse existimem disputatione, quae Reformatos quos-

quosdam Theologos diuisit, vtrum miraculum nati-
 vitatis ex VIRGINE per se praestet immunitatem hu-
 manae Christi naturae a peccato, ita vt ex natura rei
 id peti debeat? an vero habeat duntaxat rationem
 diuinitus ordinati *symboli* ad illam puritatem signifi-
 candam? quorum prius Ioanni Cocceio, alterum Ioan-
 ni Cloppenburgio placuit. Partem audiamus vtram-
 que. Sicigitur in summa Theologiae Cocceius: *Qui* Cap. 34. n. 12.
non ex Patre & matre sed ex VIRGINE natus est, sub
reatu & contaminationi non fuit. Nam a matre hoc
tantum accepit, quod praeparatum erat a Deo, vt in-
de sumeret Filius Dei materiam templi sibi fabricandi.
Quantumuis enim id quod est peccatoris, propter pec-
catores, cuius est, sit sub eadem damnatione, sub qua est
peccator. Tamen quod ita in substantia peccatoris con-
tinetur, vt non debeat esse pars substantiae eius, sed
praeparatum sit diuinitus ad generationem extraordi-
nariam, propter solam communionem carnis inter re-
demtorem & redimendos, id sub condemnatione non
est. Ideoque recte dicitur esse sanctificatum, hoc est,
a communi filiorum Adami condemnatione praeserua-
tum. Neque enim sanctificatum potest in eo casu signi-
ficare purificatum, siue ab impuritate liberatum, quem-
admodum, quum de aliis Adami filiis dicitur, signifi-
cat. Verum Cloppenburgium etiam audiamus, ita T. I. Opp. p.
 ille in Dissertatione de sanctificata origine carnis Chri- 933.
 sti ex matre &c. *Privilegiu Christi nouae creationis*
animae perfectae in sanctitate praecordinatum diuinitus
symbolum fuit, quod sicut non promissus erat in foe-
dere operum, ita neque nasciturus esset ex promissione
illi primo foederi annexa, qua Deus matrimonio bene-
diceret, sed ex VIRGINE. Enimuero non habet illa ex

B

VIRGI-

24 53

VIRGINE natiuitas miraculosa ad sanctitatem conceptionis & natiuitatis Christi rationem aliam quam istam diuinitus praecordinati symboli, quo segregatus fuit a peccatoribus. Minime enim miraculum illud per se solum, quod foecundatus fuit uterus virginis, praestare potuisset exemptionem carnis a peccati haereditate. Neque enim a sexu masculino solo, aut semine virili est peccati originis tradux, neque sic unum hominem Adamum sine Eua intellexit Apostolus Rom. V. quod hic est nonnullorum πεῖσμα τοῦ ψεύδους. Quid igitur? hoc certum est, natiuitatem ex VIRGINE importare productionem quae non fiat iuxta legem naturae, atque adeo non natum ἐκ θελήματος ἀνδρός, natum esse ἐκ θεῶ, cuius operi immediate ab eo producto integritas sua negari non possit. Vt adeo ex ipsa VIRGINITATE matris sit puritas nati, licet non vt ex causa principali: visque adeo symboli in matris VIRGINITATE sit ex ipsa ratione causali, quam obtinet, cum absque ea neque significare VIRGINITAS matris filii ἀναμαρτυρίαν valeat. Sic igitur Christus ex VIRGINE natus promissionis extitit filius, naturae lege non genitus, adeoque nec naturalis peccati propagationis particeps. Neque vero haec etiam pars fidei nostrae mera speculatione absoluitur, verum ad praxin Christianam est efficax. Ipse enim est ὁ ἅγιος Sanctus, vt nobis existat ὁ ἁγιαζὼν sanctificans, & nos simus οἱ ἁγιαζόμενοι sanctificati. Vt ipse sanctificatus est in conceptione & natiuitate sua, ita nos in regeneratione sanctificamur. Vt sicut ille conceptus est, non de viro, sed de Spiritu S., nos etiam non de sanguinibus, neque de voluntate carnis aut voluntate viri, sed ex Deo, nascamur. Eadem virtus obumbrans

Hebr. II, 11.

Io. I, 13.

brans, quae humanam eius naturam *formauit*, nostram
 quoque *reformat*. Praeclare Augustinus : *ea gratia* ^{de praedest.}
fit ab initio fidei suae homo quicumque Christianus, qua ^{SS. c. 15.}
gratia homo ille ab initio suo factus est, de IPSO SPI-
 RITU & hic RENATUS, DE QVO ET ille NATVS.
 EODEM SPIRITU *fit in nobis remissio peccatorum*,
 QVO SPIRITU *factum est, ut nullum ille haberet pec-*
catum. Imo cum ipse, ita purus & *κεχωρισμένος ἀπὸ*
τῶν ἀμαρτιῶν, in nobis quoque per applicationem fidei
 quotidie nascatur, secundum Hieronymi istud : *Comm. in Pl.*
Nolite desperare, quod semel natum est ex Maria, quo- ^{XLVIII, 17.}
tidie & in nobis nascitur, imputatione non tantum
 suae puritatis nos mundat, verum & Spiritus sui vir-
 tute ad puritatem vitae fit efficax. Hinc ecclesia iam
 purae VIRGINIS nomine venit. Et illi qui agni ca- ^{2. Cor. XI, 2.}
 nunt carmen, dicuntur cum mulieribus sese non pol-
 luisse, VIRGINES enim esse, & tales agnum sequi,
 quocumque illis praeiuerit. Neque, o Academici, ^{Apoc. XIV, 4.}
 istam Natalis Domini solennitatem ad quam pie ce-
 lebrandam nos paramus, solennius, digniusque
 tanto mysterio obire poterimus, quam si VIRGINE
 natum, VIRGINEO pectore accipiamus. Faceffat
 omnis *μολυσμός σαρκός καὶ πνεύματος* *pollutio carnis &* ^{2. Cor. VII, 1.}
spiritus. Simus nos, qui cum aliis mulieribus,
 hoc est, seculi amantibus animabus, atque eos am-
 plexus purissimis coelestis sponsi amoribus praeferen-
 tibus, sese non polluerunt. Faceffat cura seculi:
Curet mulier, ut marito placeat, nos, ut Domino pla- ^{I. Cor. VII, 34.}
ceamus, curabimus, ut puritate virginea sancti si-
mus & corpore & spiritu. Hoc est, quod, ut illa festi
 solennitate, ita omni vita, vnice meditari, agere
 vnice debebamus. Id vero studium nostrum accen-
 det

26
 27
 28
 29
 30

det pia atque erudita oratione , qua crastino die
post Horam XII. *Christum* virgine natum *Maximum*
& *minimum* ex umbone Templi Academici nobis
sistet, eximius & praestantissimus Iuuenis , HIE-
RONYMVS GIESSMANN , Grosbartenfis Misnicus,
cui deuote audiendae , vt *utriusque Reip. Proceres*
amplissimi , & *Academiae ciues* paratas aures praebere
dignentur , qua decet humanitate eosdem
rogamus. P. P. Vigiliis Natalis Domini
A. c1513ccxI.

LIPSIAE,
LITTERIS GOEZIANIS.



61 C 2

10-18

